





43.04.

28

1703.2d

TRACTATIO JURIDICA,  
DE  
**MATRIMONIO**  
*AD*  
**MORGONATICAM**  
DONATIONEM CONTRACTO,  
GERMANICE  
**Ermählung zur Linken Hand,**  
*QUAM*  
IN ACADEMIA ARGENTORATENSI  
ANNO MDCCIIIL HABUIT,  
**D.PETRUS MARCELLUS RICCIUS,**  
BENTHEMIO - WESTPHALUS.



HALÆ MAGDEB. STANNO HENDELIANO, 1730.

PRAGMATICO IN RICIGA  
DE  
MATERIALIA  
MORALITATIS  
DOMINIONI CONTRARIO  
SOCIETATIS  
IN VADENIA AGRICULTURA  
ANNO MDCCLXVII  
DIE JURIS MAGISTRI RICIGIUS



## AD LECTOREM.

JAM dudum in Imperio Romano - Germanico mos invaluit, ut aliquando principes & Status Imperii, quibus in Cœlibatu aut viduitate vivere non expedit, fœminam inferioris Nobilitatis, vel civici etiam generis in uxorem ducant, ea lege & conditione, ut liberi ex tali matrimonio nati paternæ familiæ nomen & insignia non assumant, neque in feudis & allodialibus bonis secedant, scilicet ut tam conjux quam liberi certis quibusdam bonis in pacto nuptiali assignatis, absque ulla successionis spe contenti vivant, & illud conjugium hoc vel simili pacto initium vocant MATRIMONIVM AD MORGONATICAM, cuius quidem primo nominis Etymologiam in præsenti differentiatione paucis inquiremus, deinde ad ipsam rei definitionem & Quæstiones ex ea emanentes progressuri.

A 2

CAP.

## 4. TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

### C A P. I.

*De denominatione Matrimonii ad Morganaticam contractū.*

#### §. I.

**M**organaticam seu Morgengabæ vocabulum in legibus Longobardicis, Burgundicis, Allemannicis & Ripuariis sæpius occurrit, a) & olim nihil aliud significabat quam donum matutinale, quod postea clariori voce Morgengab dictum fuit, hujus vocabuli meminit Gregorius Turonensis in Chronico suo b) ubi scodus pacis inter Güntheramum, Burgundia & Childebertum, Austrasie Reges & Brunchildem, Reginam, Childeberti matrem refert, quod circa annum 570. evenit, inter cœteros pacis articulos etiam hoc conventum fuit, ut de civitatibus Burdegala Lemovica, Cadurca Benarno & Bigorra, quas Gailivindam Germanam Domine Bruncildis tam dote quam in MORGINGIBA, hoc est, M A T V T I N A L I D O N O in Francicum venientem certum est acquisivisse, Cadurcum cum terninis & cuncto populo Domina Bruncildis de presenti in sua proprietate percipias, reliquas vero civitates Dominus Güntheramus quo ad vivis possideat.

#### §. II.

Donum hoc matutinale apud Longobardos valde frequens fuit, quod plurimæ Leges Longobardicæ c) de Morgengabæ mentionem facientes probant, Lex duodecima tituli noni libri primi sic habet: & si filius batuerit de ipsa muliere legiimmos habeant sibi MORGIN CAP & fuder. sum sue matris, munus istud Morganaticum apud Longobardos esse poterat quarta pars bonorum, quæ maritus tempore nuptiarum possidebat, nec eam quantitatem excedere licet per Constitutionem Regis Luitprandi d) his verbis, ita constituiimus, ut MORGIN CAP noui amplius, quam quarta pars de substantia mariti, si autem minus dare volue-

a) Vid. Glossar. Lindenb. & Joh. Voss ad vocem **Morgengab.**

b) Lib. 9. C. 29. c) Lex. 8. tit. 2. lib. 1. leg. Long. l. i. tit. 4. lib.

i. d) Leg. prima tit. 4. lib. 2. Leg. Long.

## AD MORGONAT. DONAT. CONTRACTO. 5

voluerit de rebus quam quarta porcio sit, habeas in omnibus  
licentiam dandi.

### §. III.

Usus hic Allemannis etiam non ignotus fuit, & munus  
hoc maturinum in Legibus Allemanno teutonicis nomi-  
natur *Markane Kaba*. Lingua enim vernacula Alleman-  
nica mane Morkane & donum Kaba dictum fuit juxta in-  
terpretationem *Keronis Monachi S. Galli* allegatam a D. Mi-  
lero ab Ehrenbach. e)

### §. IV.

Clarius in Legibus Allemannorum f) exprimitur: si  
autem ipsa feminæ dixerit maritus meus dedit mihi MORGEN-  
GABA, computet quantum valet in auro & argento aut munus  
civis, tunc liceat illi mulieri jurare per pedus suum, & dicat  
quod maritus meus mihi dedit in potestate & ego possidere de-  
beo, hoc dicant Allemanni Naiflaid. Cum autem sexus mulie-  
bris ad perjuria nimis pronus reperiretur Lege Longo-  
bardica g) provisum fuit, ut de quantitate Morgonatica in-  
strumentum conficeretur, ita dicta Lex decernit, si quis  
Longobardus MORGINGAB conjugi sue dare voluerit, quan-  
do sibi eam conjugio sociaverit, ita decernimus, ut alia die an-  
te parentes & amicos suos ostendat proscriptum a testibus ro-  
boratum, & dicat, ecce quod conjugi meæ Morgengabæ dedi, ut  
in futurum pro hac causa perjurium non incurrat.

### §. V.

Unitum quoque hoc donum fuit apud Burgundos  
b) & Ripuarios, quorum i) ultimorum legibus constitutum  
est, ut si uxor virum supervixerit, quicquid ei a Marito  
datum fuit in Morgengabâ sibi vindicare liceat, ejusdem  
demum in Canuti Angliae Regis legibus mentio sit, voca-  
turque Morgengift. k)

### §. VI.

Et huncce morem dandi & constituendi munus Mor-  
A 3 gona-

e) in Gam. person. illust. c. 6. n. 4. f) Leg. 6. g) Leg. 1. iii. 4. 1. 2.  
b) Lex Burg. 42. §. 2. i) Lex Rip. 27. §. 2. & 3. k) Leg. Can. Cap. 71.

## 6. TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

gonatum magnates & illustres Germaniæ ab antiquo  
observarunt, cuius rei memorabile Exemplum affert *Albertus Argentinensis*,<sup>1)</sup> qui de Joanne Austriaco sequentia  
refert: *Joannes autem dux fratrellis (Alberti primi) Regis, quem Rex in sua Curia cum filii nutrivit, afferens munitiones*  
*domini Kiburg ad se spectare tanquam matri sue per Rudolphum Regem olim MORGONATICO JURE donatum, libenter habuisse sua, insans ferventer, ut sibi saltem aliquas*  
*munitioes assignaret, ad quod Rex cum induci nequiret, & insuper multos Baronum bonis suis & juribus spoliaret, tandem ipse*  
*Dux cum Barone Rudolpho de Wart Regem interficere cogiavit.*

### §. VII.

Nostris adhuc temporibus doni hujus matutinalis u-  
sus sive Morgengabæ in Germania, præsertim inter illu-  
stres, frequentissimus est, ejusque quantitas in paciis nu-  
ptialibus plerumque determinatur, datur autem a sponso  
post primam Concubitus noctem pro pretio delibata pudicitia, seu ut verbis Mileri utar in *remunerationem virginitatis erupta*, so der Bräutigam nach beschlagener Deck der  
Bräut gibt, an Geld, Ketten, oder Kleinodien, Besold. m.)

### §. VIII.

Eadem Morgengabæ consuetudo & eandem ob cau-  
sam in Regnis Hispaniæ, Castellæ, Arragoniæ, Neapo-  
lis, Sardinæ, uti & in Catalonia viget, teste *Milero n.)* &  
variis ab eodem citatis Authoribus, imo in Ducatu Sa-  
baudie Morgengabæ vulgo dotis augmenti nuncupati  
tantus est favor, ut circa ullam conventionem ipso jure  
sponsæ debeatur, *Ant. Fab. o)*

### §. IX.

Hujusmodi donationes jam olim apud Romanos u-  
sitatæ fuerunt, nam in *primi complexus remunerationem*, ut  
Apulejus loquitur, carinus seu sponsus novæ nuptiæ munus-  
cula quedam offerebat, quod non obscure innuit *Juvena-  
lis. p)*

1) p. 113. m) thes. p. voc. Morgeng. n) in Gam. C. 15. §. 4. 5 sq.  
o) in Cod. tit. de don. ante nupt. def. 3. n. 1. p) Sat. 6.

## AD MORGONAT. DONAT. CONTRACTO. 7

Nec illud

*Quod prima pro nocte datur, cum lance beata  
Dacicus & scripto radias Germanicus auro.*

Quibus versibus significantur aurea & argentea vasa, quibus Imperatorum Germanici & Domitiani a devictis Dacis Dacici dicti imagines insculptae erant ita explicante Cypraeo. q)

### §. X.

Et hæc est vera & ab omnibus recentioribus approbata vocabuli Morganatici Etymologia, licet illustres feu-  
distarum patriarchæ ut vulgo appellant *Andreas ab Isernia* & *Alvarortus r)* aliter sentiantur & Morgengap sumpta allusione ad vocabulum cap a mortis causa capione deri-  
vent, sed melius *Milerus s)* & alii morgen id est mane &  
cap seu gab donum explicant.

### §. XI.

Germanice matrimonium ob Morganaticam voca-  
tur *Vermählung zur linken Hand*, utroque titulo La-  
tino & Germanico res quidem eadem notatur, ut scilicet  
conjugi & liberi ex eo nascituri certis sponsalititia lege ex-  
pressis bonis contenti vivant, denominatio autem diversa  
est, latina ab adjecto pacto, Germanica a solennitate  
Ecclesiastica, eo quod matrimonium hoc dabo quando-  
que coram ministro sinistra manu tanquam symbolo ef-  
fusus peculiaris contrahatur, i) *D. Iritibius*.

### §. XII.

Cœterum inter Morganaticam, Morgengaben, &  
Morgengebam nullam cum *Befoldo u)* differentiam faci-  
mus, hoc autem certum est, quod Morgengeba a donatio-  
ne propter nuptias uti & sponsalititia largitate multum  
differat, licet Doctores hæc multum confundant, dona-  
tio

q) de Jur. Connub. C. 13. §. 41. n. 3. r) ad lib. 2. feud. tit. 29. s)  
Gam. C. 6. §. 4. t) in Suppl. Speidel, Befold. p. 130. u)  
tbeſ. pr. vec. Morgeng.

## 8 TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

sio enim propter nuprias sit in dotis compensationem, diciturque contraria dos & dotis compositio, <sup>x)</sup> verum donatio Morganatica est donum mere gratuitum, nullamque ad docem respectum habet, quod autem sponsalitiam largitatem attinet, hæc sit inter sponsum & sponsam respectu futuri matrimonii ad mutuum amorem conciliandum, & vocatur a Justino y) antelucalis donatio, qui exiguum imo nullam cum dono morganatico affinitatem habet.

### C A P. II.

*De definitione & aequitate Matrimonii ad Morganaticam.*

#### S. I.

**V**idimus in Capite precedenti frequentem apud varias nationes doni matutinalis usum, & occasione hujus matrimonium nostrum ad Morganaticam originem suam traxit, definitur a Kitzelio *Matrimonium inter Viros Illustris & Nobiles Magnates cum plebeja seu vilioris conditionis muliere ea lege contractum, ut liberi secundi matrimonii cum primogenito seu liberi prioris matrimonii non succedant, sed Morgengabe una cum matre contenti sint, aut si cui magis Myleriz) descriptio arridet, viri illustris & uxoris inferiori ordinis conjunctio legitima, hoc pacto vel conditione in favorem liberorum prioris matrimonii aut cognitorum facta, ut uxor & liberi secundi matrimonii certis bonis & annuis redditibus in pacto dotali determinata contensis vivant, & bonis avitis & paternis una cum titulis absenteant.*

#### S. II.

Videamus ipsum Juris feudalis textum, a) uti solidum matrimonii Morganatici fundamentum. Quidem habens

x) C. i. A. de jure dot. §. 29. y) n. 127. §. 3. z) Gam. c. 6. §. 8.  
a) fidel. a. C. 29.

## AD MORGONAT. DONAT. CONTRACTO. 9

habent filium ex Nobili conjugi, post mortem ejus non valens continere, aliam minus Nobilem duxit, qui nolens existere in peccato, eam desponsavit ea lege, ut nec ipsa nec filii ejus amplius habeant de bono patris, quam dixerit tempore sponsaliorum v. g. decem libras vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit, quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad Morgonaticam, alibi Lege Salica, hic maritus filii ex ea suscepit, decessit, iſi in proprietatem non succedunt alii extantibus, sed nec in feudo aliis non extantibus qui licet legitiſiſt, tamen in beneficio non succedunt. Cujus quidem textus clarioris explicationis gratia paraphrasis haec est, Nobilis quidam ex Illustri conjugi filium habuit, cum autem ad familiæ conservationem & in favorem liborum prioris matrimonii ad secundas nuptias transire noster, neque tamen continentiam servare posset, ut crimen effugeret, medium invenit, quo utrumque malum evitavit, & familiæ simul & conscientiæ consuluit, nam secundam quidem uxorem sibi desponsavit, sed minus Nobilem, & ea lege, ut mater & filii ex ea nascituri paterna hereditate perpetuo exclusi certis bonis in pæsto nuptiali determinatis contenti viverent. Id autem huic matrimonio speciale est, quod liberi inde nati, nec dignitatis, nec successionis paternæ participes fiant.

### §. III.

Cur autem matrimonium hoc dicatur in textu nostro Lege Salica contractum, Cujacius rationem hanc esse putat, quod Lege Salica Francorum Orientalium primo nuptriarum mane maritus uxori constituerit ἴποβολον, quod tamen verbum Hermenopulo; b) glossisque basiliæ corum non tam Morgonaticam, qui hypothecam uxori a marito in securitatem dotis suppositam denotat, D. Linck. c) matrimonium ad Morgonaticam denominationem summa Lege Salica mutuari putat, quod Lex Salica inter alia

B

b) Lib. 4. tit. 10. c) dissert. de hac mat. C. l. §. 3.

10 TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

alia Capitula etiam de successione hoc matrimonio constituto agat.

§. IV.

Matrimonium ad Morganaticam primo quidem intuitu iniquum aliquid & ipsi Juri naturali contrarium in se continere videtur, nec desunt Doctores, qui hujusmodi nuptias tam contra Leges civiles, quam æquitatem naturalem esse censeant, subiunguntur autem hisce vel similibus rationibus & matrimonium nostrum ex ipsa nuptiarum definitione impugnam, d) si enim inquiunt, nuptiae sint maris & fœminæ conjugatio, si humani & divini iuris communicatio si uxor vitæ socia, ergo familie, domicilii, bonorum, & honorum & si quæ alia sunt, cum marito particeps futura est.

§. V.

Deinde hac via hæreditas daretur per pactum, quod est contra expressas leges civiles e) & Imperatorum Constitutionis, hæc sunt verba Legis: f) Pactum dotali instrumento comprehensum, ut filia contenta, dote, que in matrimonio colloquabatur, nulle ad bona paterna regressum haberet iuris Authoritate improbatur, nec intestato patri succedere filia ea ratione, prohibetur, ratio enim naturalis quasi tacita lex quædam liberis parentum hæreditatem addicit, & ad debitam eos successionem vocat, ut nec judicio quidem parentis nisi meritas ob causis ab ea removeri possint, g) juxta dictum ad Galatas: si filius ergo hæres. i)

§. VI.

Æquitas quoque naturalis non parum in hoc lœsa videtur, quod parentis liberis suis, pro quibus eadem sanguinis iura pugnant, tam inæqualiter providet, prioribus dignitate præfulgentibus opulentissimam hæreditatem reli-

d) L. 1. ff. de t. nupt. e) Leg. pactum L. hæred. C. de pactis L. 35. C. de inoff. tes. f) L. 3. C. de Collat. g) L. 7. ff. de pondam. i) 4. v. 7.

## AD MORGONAT. DONAT. CONTRACTO. II

linquit, posterioribus non eodem in honore positis modicos destinat redditus, priores extollit, posteriores deprimit, hæcce iniqua disparitas per Imperatorias Constitutiones prohibetur, k) neque distinctionem inter filios primi & secundi matrimonii admittunt, quia pariter omnibus jure naturæ paterna successio debetur. l) Audiamus *Justinianum*, m) qui parentibus æqualitatem successionis inter filios primi & secundi matrimonii servandam sapientissime inculcat, si aliquem, inquit, ex secundis habeant aut eriam ex primis forsan nuptiis ita festivum ita dilectum, ut velini præponere cum aliis in successione danus licentiam hoc agendi, non tamen omnino priores quidem filios minuere secundos autem augere, sed neque vehementer magnificare augmentius, nec omnino obliviisci priorum matrimoniorum, sed providere quidem & secundis, providere autem & primis, cogitantes quoniam ambo filii sunt, & ita facientes successionum in testamento divisionem, intestatis enim eis mortuis lex omnes ex equo vocat, hæc *Justinianus*, & *Angelus* ad dictam Novellam scribit, patrem nimia sua in æquitate non debere facere ex pluribus filiis unum legitimum, alterum vero privignum & bastartum, *Card. Mant. n)*

### §. VII.

Hucusque dicta licet dura admodum sint, durissimum tamen omnium & ipsi Juri natura repugnans videatur pactum id, quod liberis legitimo matrimonio natis nomine & insignibus paternis abstinere, & jure sanguinis acquisita Nobilitati renuntiare jubet, pacta hujusmodi Legibus infirmantur, Nobilitatis enim præminentia & jure a parentibus acquisita, sunt jura sanguinis, quæ nec pactis nec renunciationibus nec lege humana tolli possunt, o) imo Doctores statuunt, patrem non posse renunciare suæ

B 2

no-

k) L. n. C. fam. ercif. l) Leg. fin. G. de Leg. ber. m) No. 22.  
G. 48. n) de interp. ult. vol. Lib. 6. n. 5. tit. 2. o) L. 34. de  
paßt. Dec. Kef. 66. n. 66. vol. 3.

## 12 TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

nobilitati in præjudicium filiorum, multo minus ergo princeps aut comes pacto nuptiali cum uxore inito efficer poterit, ne liberi legitimato matrimonio nati nascantur Principes & Comites; pacts itaque ejusmodi in favorem matrimonii pro non adiectis habebuntur juxta dispositionem Juris Canonici. p)

### §. VIII.

Et hisce vel similibus rationibus matrimonium ad Morganaticam nullo iure sustineri posse tradunt plurimi Doctores *Andreas de Isernia* q) scribit esse contra omnia Jura, *Alvarottus* r) magnam ab omni iustitia & aequitate, *Baldus* s) magnam continere iniquitatem, *Irid. Baro de Schenck* Consuetudinem hanc Mediolano Veronam usque extendendam non esse, vid. *Rittershusius*, t) *Matthæus ab Affidis*, u) *Jordanus Ursinus* x) & multi alii, qui hanc matrimonii speciem inter monstra referunt, non ideo quasi non verum & legitimatum sit matrimonium, sed quod in multis ab ordinaria conjugii via deflectat, & quod filios non solum hereditate sed & paterno nomini renunciare jubeat.

### §. IX.

Rationes has primo intuitu applausum quendam mereri fateor, sed re accuratius inspecta & rationibus utrumque ponderatis exigui sunt momenti, publica enim bona privatis anteseienda esse, proverbium non minus usitatum quam justum est, et si Princeps & Status Imperii matrimonium ad Morganaticam contrahit, non privatum sed bonum publicum intendit, ut scilicet Illustris familia splendor conservetur, ne Ducatus aut Comitatus una cum bonis avitis inter tot filios dividatur, ne subditi ad sumptuosam liberorum educationem & dotalitum matri

p) *C. ult. x. de cond. app.* q) *ad Lib. 2. feud. tit. 26. §. mulier.*  
r) *adeund. textum.* s) *ad Lib. 2. feud. tit. 29.* t) *de feud.*  
L, i, C. 15. §. 8. u) *ad l. 2. feud. part. i. quest.* x) *Art. 2. n. 22.*

AD MORGONAT. DONAT. CONTRACTO. 13

tri post principis mortem constitendum solito durius premantur, plures rationes congregas vide apud. D. Salmutb. y)

§. X.

Et cur queso Jus primogeniture, quod primogenito totum regnum, totum territorium tribuit, & ceteros modico appanagio jubet esse contentos, in Germaniam & cetera regna & provincias introductum, cur Confraternitates & renunciations familiarum Illustrium in Imperio recepta, ut scilicet regnorum divisio evitetur, & territoria inter agnatos & illustres familias remaneant, quamvis ergo liberi matrimonio Morgonatico nati tenuore in conditionem subire, & modica paternae substantiae parte acquiescere debeant, hoc tamen publica si utilitate, ne scilicet scissa in plures partes provincia, minutisque potentiae vivibus dignitatis splendor deteratur, vel distributis æqualiter proventibus ex administratione simulatio, ex simulatione confusio, & denique pernicioſissima ipsius Status mutatio suboriantur D. Linck. z) Prudenti igitur Concilio Davidis filii sacerdotes constituti sunt, a) & fratribus Joramis pecunia cum urbibus a Josaphat patre assignata est, ut Joramus eo tranquillus regnaret. b)

§. XI.

Vrum quidem est successionem paternam liberis deberi, & hereditatem Jure Civili per paclia dari non posse, etiamsi in dotalibus tabulis hoc paclum conscriptum sit. c) Contraria tamen locorum consuetudine receptum est, ut hujusmodi conventiones presertim inter Illustres Germaniae contractui matrimonii adjectæ valeant, sed neque paterna successio Jure natura ita debetur liberis, ut patris voluntate de illa disponi nequeat. Jus enim naturæ successionem non determinat sed solummodo liberis alimen-

B 3

menta

y) Quas de ux. princ. z) dicta dif. C. 2. n. 57. a) 2 Sam. 8. v. ult. b) 2 Cbr. 21. v. 2. & 3. c) l. 15. C. de paci.

14 TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

menta relinquenda præscribit, unde si comprobatus usus  
id admittit, pater paço liberis certam portionem assigna-  
re, eos a successione excludere, non nullis vero præceter-  
ris ob præclaram spem vel peculiarem effectum eximi-  
um aliquid assignare potest.<sup>d)</sup> Imo in distribuendo pa-  
trrimonio ratio haberi potest totius familie, ita ut pater  
ad ejusdem splendorem conservandam salvo Jure natura-  
li uni præcipuum bonorum partem addicere, reliquis vero  
minores portiones relinquere, modo congrua alimenta,  
qua legitime ratione obtinent, relicta sint.

§. XII.

Quod autem matrimonium ad Morganaticam libe-  
ros paterno nomine abstinere jubeat, durum quidem vi-  
deri non diffiteor, hanc tamen inconvenientiam D. Linck.  
e) optime conciliat, quod nimis approbante consue-  
tudine per paetum induci possit, ut filii non patris, sed  
matris conditionem sequantur, vel patris quidem, sed non  
omnimoda gaudeant dignitate, sed v.g. Principis aut Comi-  
tis liberis in Nobilium ordinem referantur, hoc modo libe-  
ris paterna dignitas non omnino aufertur, sed ad conserva-  
tionem familie solum restringitur, unde Milerus f) conven-  
tionem eatenus moderandam consulit, ut quamdiu filii  
ex primo matrimonio eorumque descendentes masculi  
superfuerint, paterno nomine & dignitate abstineant, primis  
autem extintis secundi, ut in titulo, ita & in dignitate pa-  
terna succedant, allusione ad Jus Francicum facta, quod  
natu minores vulgo les Cadets minori dignitate conten-  
ti, titulo paterno abstinent.

§. XIII.

Nec enim matrimonium nostrum in legibus civili-  
bus, sed in texu feudali & recepta & approbata in J.R.G.  
consuetudine fundamus, consuetudines autem vim legum  
obtinere, & juri communii derogare nemo dubitat, quod  
libet

d) Genes. 48, v. 22. e) d. dis. C. 2, §. 28. & seq. f) Gam. C. 6. n. 30.

AD MORGONAT. DONAT. CONTRACTO. 15

libet namque regnum, quælibet provincia, suas peculiares  
habet constitutiones, quæ licet aliquando ab ordinaria  
juris via deflectant, vim tamen legis ideo obtinere non  
desinunt, sic in quibusdam Galliæ locis mos invaluit, ut  
contra jus commune & receptum usum natu minimus  
exclusis natu majoribus in feudis & avitis parentum bo-  
nis succedat, sic in Ducatu Montensi & Julianensi liberi  
prioris matrimonii feuda ab antiquo ab ascendentibus ad  
patrem devoluta aut constante priori matrimonio acqui-  
sita, filii secundi matrimonii omnino exclusis acquirunt,  
referente Mozzio. g)

§. XIV.

Nec desunt memorabili tam intra quam extra Ger-  
maniam exempla, quæ usum hunc nostrum tam bene sta-  
bilium confirmant. Ita Gregorius Fridericus, Marchio  
in Baden & Durlach, cum virgine Elisabetha Stotzin præ-  
fecti sui Roteleno Stauffenburgensis filia, matrimonium  
ad Morgonatica donationem contraxit, hac lege, ut tam  
uxor quam liberi certis redditibus contenti, a successione  
bonorum familie abstinerent. b) Ita Ferdinandus filius  
Wilhelmi, Ducis Bavariæ, anno 1588. uxorem duxit Mari-  
am Petrembeck, liberosque ex hoc matrimonio natos Co-  
mites in Wartemberg & Schaumburg effecit, hoc pacto,  
ut assignatis bonis contenti omnem futuræ successionis  
spem in Bavariam deponerent. Ita Georgius Aribertus  
Princeps Anhaltinus zu Werbiß, Joannam filiam Christo-  
phori a Crosek in uxorem duxit hac conditione, ut filii  
ex hoc matrimonio nati Illustris familie nomen & insi-  
gnia non assumerent, & paterna hereditate exclusi titu-  
lum Dominorum de Radegast gererent, referente Milero. i)

§. XV.

Pariter Wilhelmi Augusti, Ducis Brunsvico-Lune-  
bur-

g) de feud. tit. de accid. ferd. n. 42. b) Quæst. fol. 80. i) in  
Cam. C. 6. n. 13.

16 TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

burghensis, filius tertius Augustus, Secretarii cuiusdam filiam sibi junxit, ut liberi inde nati non Principes, sed Nobiles tantum sint, & cum matre sustentationem ex Ecclesiæ Ratzenbutlenis reditibus, aus den Daagenbutlischen Stifts, Gefällen haberent, ex quo conjugio hinc natus filius Ernestus Nobilis de Luneburg, Juncker Ernst von Lüneburg. *Salmuth. k)* Ita Nicolaus Tertius, Marchio Ferrariorum in uxorem duxit Ricciardum, Marchionissam Salutiarum hoc pacto, ne filii ex ea nascituri succedant in Marchionatu Ferrariorum. *Avarottus. l)* Ita Ludovicus Christianus, Comes in Sain & Witgenstein post steriles cum Margaretha Elisabetha, Comitissam Solmensi nuptias, feminam ignobilem matrimonio ad Morganaticam sibi junxit, & anno 1681. satis cessit, ut multa alia & notissima exempla silentio præteream.

§. XVI.

Cœterum hoc quoque refert *Milerus m)* matrimonium Ferdinandi, Archi Ducis Austriæ, fratri Maximiliani secundi Imperatoris, cum Philippina, Antonii Welseri, Patricii Augustani filia, sed matrimonium hoc proprie morganaticum non fuit, simpliciter enim & non adjecto pacto morganatico eam ducit, ex eaque Andream & Carolum suscepit, priorem Cardinalem & Episcopum Constantensem, posteriori autem Marchionatus Burggravensis & Landgraviatus Nellenbergensis una cum Marchionis titulo mediabitibus provincialibus ordinibus assignatus, sicque ab opulento domus Austriacæ patrimonio & Archiducali dignitate non per pauciū morganaticum, sed per assignationem patris concilio Imperatoris & ordinum suffragio longe post nuptias factam, exclusus est, uti ex fide digna celebris in familia Welseriana florentis viri relatione accepisse scribit D. Linck. n)

CAP.

k) *dic. Quæst. fol. 81.* l) *ad §. filii L. 2. feud. tit. 26.* m) *dit. Cap. 6. n. 13.* n) *dic. dif. C. 2. n. 61.*

## AD MORGONAT.DONAT.CONTRACTO.

### C A P. III.

*Reliqua ad Matrimonium ad Morgonaticam spe-  
ciantia examinantur.*

#### §. I.

**C**onstituta origine & æquitate matrimonii ad Morgonaticam donationem contracti superest, ut reliqua ad illud spectantia paucis percurramus, dubitant hic a liqui, utrum nuptiæ inter personas inæqualis conditionis licite sint, proferunt autem Leges civiles & inter alias Legem Julianam o) qua Senatori, Senatoris filio, filiæve, nepoti aut nepti cum libertino libertinave contrahere prohibitum est, & Zanchius matrimonia inter personas multum differentes illicita esse ex sacris litteris demonstare nictitur, alii incommoda ex nuptiis in æqualibus emanantia fuse exaggerant. Verum horum rationes solido destituuntur fundamento, & Nobilis ignobilem, dives pauperem, Dominus subditam, æque ac aliam ducere nullo modo prohibetur, Jus namque Canonicum permittit, ut illustris & dignioris conditionis vir quamlibet vilem personam matrimonio sibi jungat, & ejusdem juris vigore liber homo cum ancilla & contra legitimas contrahit nuptias, p) imo juxta Jus civile notissimum q) conditionis disparitas matrimonii impedimentum non est, ita ut hæc Juris Civilis prohibitio ab ipso Justiniano immutata atque hodie penitus sublata sit. conf. Coll. Jur. Arg. r)

#### §. II.

Imo nuptiarum inter inæquales dignitate contratarum Exempla plurima in Sacris Litteris occurunt, sic David jam in Regem unctus cum Abigaele Nabalis, for-

C didis-

o) ff. 44. ff. de rit. nupt. p) C. 2. & ult. x. de conf. serv. q) Nor.  
7. 8. C. 3. r) tit. de rit. nupt. tb. 16.

18 TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

didissimi hominis vidua nuptias contraxit. *i)* Sic Salomon sapientissimus filiarum unam Abinadabis filio, alteram Amihaazi præfecti sui despousavit, sic Joaides Sacerdos Josabeth Jorami Regis filiam in uxorem duxit, *i)* ut secundarias ut vocant Patriarcharum & Regum Israëliticorum nuptias silentio prætereamus, neque hoc modo Nobilium sanguis contaminatur, & Jura Gentium confunduntur, ut apud Livium conqueruntur patres conscripti & tribunus plebis, alioquin Aspasia puella rusticæ Regum thalamum confondere non potuisset, neque Eudocia Atheniensis Philosophi filia ad regios Theodosii Imperatoris amplexus fuisset admassa *D. Linck. u.)*

§. III.

Hæc autem dum ad matrimonium ad Morganaticam stabiliendum altero, non ideo difficitur matrimonia felicissima esse ea, que inter personas genere, ætate, moribus, & alijs adjunctis quam maxime pares contrahuntur, *juxta illud Poetæ:*

*Si qua voles apte nubere nube pari.*

§. IV.

Ardua sece hic Quæstio offert, an pater Illustris libertis Morganaticis legitimam de bonis paternis Jure Naturali relinquere teneatur, multi affirmativam defendunt sententiam, nos negativam cum aliis amplectimur, quamvis enim Jus Naturale liberis paternam hæreditatem addicat, nullam tamen determinatam constitutit quantitatem, sed modam succedendi & portionis determinationem Juris Civilis dispositioni relinquit. Audiamus Peretium *x)* Legitima Juris Naturalis non est, quamvis debetur propter naturalem causam, quod si enim Juris Naturalis esset legitima, filius licet impius & ingratus, que natura essent, non posset admittere, amittit autem cum reple exhereditas;

*s)* 1 Reg. 25. v. 20. & 22. *t)* 2 Paralip. 22. v. 11. *u)* C. 2. n. 51.

*x)* ad Cod. iiii. de inoff. tes. Nul.

## AD MORGONAT. DONAT. CONTRACTO. 19

redat, accedit his Exemplum militis, qui per leges solitus solumnibus Juris Civilis non tenetur liberis relinquere legitimam, dum autem liberis Morgonaticis legitimam praecise relinquendam non esse statuo, non idcirco patrem ab obligatione, necessaria alimenta suppeditandi, quae legitimæ locum tenent, eximo alias enim ipsum naturæ jus violaretur, faveat hic Hug. Gratii sententia, y) his verbis: Nec aliter capiendum, quod dici solet legitimam humanis legibus tolli non posse, quatenus scilicet in legitima insunte alimenta necessaria, nam quod supra est, tolli potest non repugnante natura.

### §. V.

Liberi itaque Morgonatici a paterna hæreditate omnino exclusi territoria, dynastias, bona patris tam mobilia quam immobilia actiones aut res hæreditaria jure nullo modo vindicare possunt; verum redditibus annuis & bonis in pactis nuptialibus assignatis absque ulla successionis paternæ spe acquisescere debent, graviter quidem hic obstat videtur textus juris feudaliz:z) ubi filii in feuda succedunt nulla defuncti ordinatione valente, adeo ut pater ne quidem ad pias causas aut pro anima de eis disponere, a) multo minus legitimos liberos, dum non Patris, sed Domini & primi acquirentis beneficio in feuda succedunt, b) excludere possit, verum exclusio hæc moribus Mediolanensium introducta, in Imperio R. G. a longissimo tempore recepta, Imperioriae Majestatis consensu sive tacito, sive expressio approbata, instar legis est, que cœteris tam juris feudalis, quam civilis textibus, derogat & novum quasi jus ad conferandam familiarum Illustrium dignitatem constituit.

### C 2

### §. VI.

y) de Jur. bell. & pacis L. 2. C. 7. §. 4. n. 3. z) lib. 1. feud. c. 8.

a) 2. feud. tit. 9. §. dona. b) Schrader de feud. par. 7. C. 5.  
n. 12.

20 TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO

§. VI.

Ergo saltem filii Morgonatici deficientibus absque hæredibus prioris matrimonii liberis in bonis paternis succendent, distinguit hic Capituli nostri dispositio, & cum eodem Doctores inter bona allodialia & feudalia, in allodialibus filii Morgonatici deficientibus primi matrimonii liberis omnino succedunt, idque ex expressis Capituli nostri verbis, & præsumpta patris voluntate, qui creditur voluisse præferre legitimos filios suos Collateralibus unde ipsorum jus, quod haec tenus in favorem filiorum illustrium prioris matrimonii in suspenso fuit, ad effectum redigitur, *D. Linck. c)* in feudalibus autem filios Morgonaticos etiam extinctis prioris matrimonii liberis non admittendos, sed a Collateralibus excludi, communis est Doctorum sententia, fundata in textu Juris feudalis; & consuetudine uti solidio matrimonii nostri fundamento.

§. VII.

Tutissimum mihi videtur, Quæstionem hanc ex pais nuptialibus decidendam, & sedulo examinandum esse, an conventiones nuptiales solum in favorem liborum prioris matrimonii, an autem in favorem totius illustris familie factæ sint, aut si cui magis *Siruvii & Mileri d)* distinctio placet, an pactum a patre Illustri ita conceptum sit, ut filii secundi matrimonii accepta certa bonorum parte contenti sint, & a successione secedant, an vero ita inscriptum, ut filiis secundi matrimonii omnimodo bonis paternis tam feudalibus, quam allodialibus perpetuo excludantur, priori casu filii Morgonatici deficientibus filii prioris matrimonii eorumque descendantibus etiam in feidis succedent, obstaculum enim per mortem primo vocati ejusque descendantium remotum est, & dispositiones inæqualitatem inter liberos inducentes & jus successionis paternæ constringentes strictissime interpre-

tanda

c) C. 3. n. 57. d) in Gam. C. 6. n. 36.

## AD MORGONAT. DONAT. CONTRACTO. 27

tanda sunt, posteriori vero casu, etiam extinctis prioris matrimonii liberis a feudis exclusi manebunt liberi nostri ad Morganaticam, cuius rationem addit. D. Struvius.  
e) quod filii Morganatici semel a feudo exclusi, in praedictum agnatorum ad illud admitti nequeant, in simili tamen casu, ut optime monet *Milesius*, primo omnium inspicienda est consuetudo loci, Provincie, Ducatus aut Comitatus, quomodo hujusmodi conventiones olim observatae fuerint.

### §. VIII.

Ceterum filii Morganatici materna hereditate minime excluduntur, sed eidem ab intestato succedunt, immo contra illius testamentum, si inique præteriti vel exhereditati sunt, querelam inofficiosi movere possunt, haec enim querela non tantum libertis legitimis, sed etiam naturalibus & spuriis competit. g) vice versa & pater & mater filiis Morganaticis succedunt, h) hoc enim matrimonium, quatenus pacis & consuetudine alteratum non est, ad ordinariam matrimonii naturam accedit, ejusque effectibus gaudet Linck. i)

### §. IX.

Non omittendu hic Quæstio est: an in matrimonio ad Morganaticam donationem contracto, Imperatoria confirmatio requiratur? negant id multi, alii affirmantibus, & varia utrimque rationes afferunt, placet impensis prudentissimum Dn. Linck. k) Concilium, qui melius & tutius esse credit, hoc extraordinarium negotium Imperatoris Authoritate roborandum, & diploma Cæsareum desuper imperatrum plenioris securitatis gratia in Archiva referendum, pacta namque Cæsarea & summæ potestatis Authoritate suffulta, singulare robur sortiuntur.

### C 3

### §. X.

- e) de feud. C. 9. §. 5. n. 9. f) dic. Cap. 6. §. 36. g) L. 291. f. §. 1.  
de inoff. test. b) Nov. 118. C. 2. i) C. 3. n. 61. k) C. 3. n. 38.

22 TRACTATIO JURID. DE MATRIMONIO.

§. X.

Non dubitamus autem, quin pactum hoc a patre constante matrimonio in favorem filiorum Morganatorum mutari possit, cum enim liberi ex hoc matrimonio nati, legitimi sint, & omnis succedendi vis intuitu horum liberorum dependeat a voluntate patris, voluntas autem talis ambulatoria sit usque ad mortem, quid quo<sup>s</sup>o prohibet patrem, idem in favorem hujus matrimonii mutuare, haec autem intellecta volo, si pater absolutam de bonis suis habet dispositionem, si restrictam ut va<sup>s</sup>alis, tunc revocatio haec fiet accidente Domini dire*cti* consensu Doct. Schwederus.<sup>l)</sup>

§. XI.

Querunt denique, an filii Morganatici ad ludos equestres aut torneamenta Nobilium, uti & ad Collegia Cathedralia, vulgo zu den hohen Stiften, admittendi. Questionis hujus decisio distinctione temperanda, aut enim mater Nobili aut ignobilis familia orta est, priori casu filii Morganaticis ad ludos Equestres uti & ad Collegia Cathedralia aditum patere, dubitandum non est, posteriori autem propter consuetudinem torneamento<sup>r</sup>um & Ecclesiarum Cathedralium, in quibus per longam seriem integra & non interrupta nobilitas ab utraque parte probanda est, excludentur.

§. XII.

Id autem non intelligo, qua ratione quidam natum ex Principe aut Statu Imperii aut plebeja indistincte Comitiis excludant, quid enim si Morganatica in Comitatu aut Baronatu praesupposito aut expresso aut tacito Imperatoris consensu consistit? hic utique Comes aut Baronissimum votum in Comitiis habebit, jus enim istud territorio annexum est. Lampadius. m)

§. XIII.

l) *dis. de pref. mat. pos. 29.* m) *part. 3, C. 3, n. 16.*

§. XIII.

Cœterum sicut matrimonium ad Morganaticam donationem contractum, utpote essentialibus conjugii requisitis constans, legitimum & omnibus numeris absolutum est, ita liberi ex eodem procreati tam masculi, quam feminæ omnino legiti sunt, n) inter eos enim & alterius matrimonii liberos nullum aliud nisi ratione successionis & tituli discrimen intercedit, quod legitimis natalibus non obest, nec enim, quod inferioris conditionis matre procreati sunt, nullum eis præjudicium inferre potest. Milerus. o)

§. XIV.

Cum nuptiis ad Morganaticam donationem contractis non male convenient secundaria Veteris testamenti matrimonia, qua affectu quidem maritali, sed sine legalibus instrumentis contrahebantur, liberique ex hisce nuptiis procreati, hereditate paterna exclusi, certis munieribus pro alimento necessario assignatis, acquiescere tenabantur, & licet Abraham mortua Sara duxerit pro legitima uxore Cethuram, cum qua multos filios genuit, attamen Israël, ex Sara natus, universalis omnium bonorum hæres exitit, & filii ex Cethura, uti & Iacob ex ancilla Agar prognati, acceptis quibusdam munieribus, ad plagam usque orientalem ab Iacob separati fuerunt. p)

§. XV.

Huc faciunt quoque secundæ apud Brabantos usitatae nuptiae, ubi liberi prioris matrimonii in omnia bona immobilia & res soli succedunt mobilibus, secundi matrimonii liberis remanentibus, Hugo Grotius q) referri etiam hic potest Juris Leodiensis Constitutio, qua liberi ex primo matrimonio nati omnia bona patris immobilia & omnia alia ex familia & stipite provenientia capiunt, les biens

n) L. 2. feud. tit. 29. o) C. 6. n. 15. p) Genes. 25. v. 5. q) de Jur. bell. & pac. l. 2. C. 7. n. 8.

24 TRACT. JURID. DE MATRIMONIO ETC.

biens immeubles & tons autres venant d' estoic & ligne, relictis liberis secundi matrimonii iis bonis, quæ parens in viduitate & tempore secundi conjugii acquisivit, teste Carolo de Mean, r) & post eum Mileros) conferatur §. 13. cap. secundi hujus Dissertationis.

§. XVI.

Coeterum non video, quomodo aliqui nuptias ad Morganaticam contractas comparare possint cum matrimonio ad Thalac dicto, in partibus Orientalibus usitato, hoc enim matrimonium, utpote quod ad Mariti libicum dirimitur, r) illegitimum est, & nullo modo sustineri potest, adeoque nuptiae Morganatica nullam cum eodem comparationem admittunt. Et quæ hucusque de MATRIMONIO AD MORGONATICAM CONTRACTO dicta sunt, licet ex recepta & approbata in Imperio Romano-Germanico consuetudine defendamus, non ideo tamen diffitemur, nuptias longe feliores & convenientes magis esse eas, quæ Princeps cum Principe, Illustris cum Illustri & æqualis conditionis conjugé contrahit, ideoque concludimus, matrimonium ad Morganaticam, nisi urgentissimæ rationes adsint, Principi propter varias inconvenientias potius dissuadendum, quam propter favorem liberorum prioris matrimonii, familiæque splendorem conservandum, suadendum esse.

r) in observ. decis. Jur. Leod. 123. & 125. s) C. 6. §. 11. t) Gabr. Paleottus Card. de nat. & spur. Cap. 17. n. 8.







**ULB Halle**  
003 594 807

3



*Sb*



28

1703 2d

TRACTATIO JURIDICA,  
DE  
**MATRIMONIO**  
*AD*  
**MORGONATICAM**  
DONATIONEM CONTRACTO,  
GERMANICE  
*Vermählung zur Linken Hand,*  
QUAM  
IN ACADEMIA ARGENTORATENSI  
ANNO MDCCIII. HABUIT,  
**D. PETRUS MARCELLUS RICCIUS,**  
BENTHEMIO - WESTPHALUS.



HALÆ MAGDEB. STANNO HENDELIANO, 1730.

